Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 517
Quelle:
Copyright:

Hexaemeron, LL. de Paradiso, et *de Cain et Abel* complexum, cujus lectio satis proba est. Ad finem *L. V. de Paradiso* non habentur illa verba: *Fiat nobis mane dies sextus;* et *de Cain et Abel* ultima Περικοπη: *Unde in Lamech septuagies septies vindicatur* &c. vel evulsa est, vel nunquam fuit adscripta.

CCLXXXVII.

U. 181 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 293. f. nitide per duas columnas exaratus, rubricis distinctus, et oblatus *Collegio Ducali* a M. *Stephano de Egenburga* civitate *Austriae* infer. qui anno 1433. Academiae Rector, dein ad D. *Stephani* Canonicus fuit, exhibet sequentia: I. *Incipit exameron Tractatus S. Ambrosij Episcopi de die I.* Ita quidem: *Tantumne opinionis assumpsisse sibi homines videntur* &c. ut edit. *Maur. Paris.* 1686. T. I. *col.* 1. f. Verum, ubi haec Editio τȣ Ἑξαημερȣ *Libros* tantum VI. censet, nostra ad *Libros* IX. progreditur; ita enim Rubricae: *Incipit de die septimo. Incipit de die octauo. Incipit de die nono.* Quid istud? Adtexti sunt non prorsus incongrue *Ambrosii Liber de Paradiso*, et *Libri II. de Cain et Abel.* En tres nostros redundantes, qui in Editis *Hexaemeron* pone sequuntur. Nescio, an Editoribus ejusmodi Exemplar occurrerit. Nostrum satis emendatum est, sed ultimi Libri περικοπη de *Lamech* deficit, quod jam ad alium etiam Codicem notavi.

II. *fol.* 92. p. 2. *Prosper de uita actiua et contemplatiua, et continet tres libros.* Ad *Julianum Pomerium* pertinere istud Opus, dixi alio Codice, in quo L. III. c. 15. abrumpebatur. In praesenti solum C. *ult.* hujus Libri deest. Praefatio init: *Diu multumque renisus voluntati tue* &c. et habet inclusum *Capitum* Elenchum, ut in illo Codice, post quem continuat: *Itaque iubes ut paucis edisseram* &c. quod rectius, quam in Edit. *Paris. Prosperi Append. col.* 1. *Paris.* 1711. f.

III. *fol.* 133. *Incipit breuiloquium.* Nempe *Bonaventurae* jam alias relatum. Initium est: *Flecto genua mea ad Patrem domini nostri* &c. Ut in edit. *Lugd.* T. VI. p. 5. 1668. f. quae tamen Conspectum omnium VII. *Partium* non praemittit, quemadmodum in nostro Exemplo visitur, quod cetera integrum est hac clausula: *Explicit* &c. *per paulum de niclospurga scriptum et finitum sub anno domini M° CCCC° XXVII. sabbato ante festum michabelis.*

IV. *fol.* 217. ut e calce adsumendum, *Liber beati augustini de vera et falsa penitencia.* Injuriam fecit Amanuensis S. Doctori. Titulus hic ad Opusculum ei subpositum pertinet, quod rite ad *Append.* T. VI. Edit. *Maur. col.* 231. ablegatum est. Quod prae oculis habemus, Sermo genuinus est *n.* CCCLI. *De Utilitate agendae Poenitentiae,* qui legitur edit. *cit.*